

Pls. 120-65^a

COMPENDIUM
Facultatum et Dispensationum
a
SEDE APOSTOLICA,
MINISTRO GENERALI ET EPISCOPIS
CONCESSARUM
Provinciae Nostrae Germaniae Inferioris
FRATRUM MINORUM RECOLLECTORUM.

RUREMUNDÆ,
HENRI VAN DER MARCK.

MDCCCLXXXV.

me 119/209

Vat 120
65a

COMPENDIUM

Facultatum et Dispensationum

a

SEDE APOSTOLICA,
MINISTRO GENERALI ET EPISCOPIS

concessarum

Provinciae Nostrae Germaniae Inferioris

FRATRUM MINORUM RECOLLECTORUM.



MDCCCLXXXV
HENRI VAN DER MARCK,
RURÆMUNDÆ.

In usum et commodum Confratrum imprimendum curavimus hunc libellum, in quo compendiose recensentur dispensationes et facultates, quas nostrae Provinciae indulserunt Apostolica Sedes, Minister Generalis et Episcopi Neerlandiae.

Curabunt P.P. Guardiani et P.P. Principales, ut unum saltem exemplar habeatur in loco Sacerdotibus subditis pervio, in eoque adnotent facultates, si quas speciales pro conventu vel statione habent, ac alias novas vel prorogationes, quae ipsis a Ministro Provinciali publicabuntur.

Datum e conventu nostro Werthensi Fratrum Minorum Recollectorum hac die 19 Martii 1895.

Fr. *Benedictus Franssen*

Min. Prov.

I.

Die 22^a Januarii 1854 Summus Pontifex PIUS IX extendit ad Patres Principales Stationum facultatem benedicendi, pro usu tantum suae ecclesiae, paramenta et alia ad divinum cultum necessaria, in quibus Chrisma non intervenit; item facultatem benedicendi cruces pro lucrandis indulgentiis Stationum Viae Crucis in favorem eorum, qui morali vel physica impossibilitate impediuntur, quominus dictas Stationes in ecclesiis visitare possint.

II.

Die 21^a Septembris 1856 S. P. PIUS IX largitus est dispensationem, qua nostri religiosi, qui in conventibus commorantur, in utroque quadragesimali jejunio, communi nempe atque speciali, quod incipit a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, licite valent sese caeteris fidelibus quoad cibaria conformare, dum ob rationabilem causam extra conventum de licentia Superioris versantur; cum onere tamen recitandi ter *Salve Regina* singula die, qua dispensatione utuntur.

III.

Die 24^a Novembris 1861 S. P. PIUS IX concessit Ministro Provinciali facultatem dispensandi cum religiosis, qui in conventibus commorantur, dum ob rationabilem causam de licentia Superiorum ad partes haereticas Hollandiae se conferunt, ut habitum religiosum deponere et pecuniam tractare possint, ita tamen ut statim ac fuerint reduces ad conventum, reassumant habitum et resignent Syndico Apostolico totam omnino pecuniam.

IV.

Die 16^a Decembris 1877 Ministro Provinciali exponenti saepe suos religiosos debere se convertere ad Missam celebrandam aliasque functiones exercendas extra conventum in loca ab haereticis habitata et ideo se vestire ut sacerdotes saeculares, ac imploranti respectu locorum et intemperiei temporum pro se et successoribus facultatem permittendi suis con-religiosis secundum circumstantias usum capillorum ficticiorum tum senibus calvis tum junioribus obligatis ad totalem tonsuram religiosam S. P. PIUS IX benigne annuit pro gratia juxta petita perdurantibus circumstantiis.

V.

Die 26^a Novembris 1882 S. P. LEO XIII
indulsit, ut Patres Confessarii, tum praesentes
tum futuri, ac etiam Fratres Professores in
Gymnasiis Venradiensi et Megensi, tum prae-
sentes tum futuri, privatam Matutini cum Lau-
dibus recitationem insequentis diei, quovis anni
tempore statim elapsa hora secunda pomeridiana
diei praecedentis anticipare valeant.

VI.

Die 25^a Aprilis 1886 *ad decennium* a S. P. LEONE XIII prorogata est facultas jampridem religiosis sacerdotibus Provinciae nostrae concessa, impertiendi in fine missionum ac spiritualium exercitiorum, quae ab ipsis dantur, Benedictionem Apostolicam cum plenaria Indulgentia ab utriusque sexus fidelibus lucranda, qui vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti eidem adstiterint, dummodo praedictis missionibus vel exercitiis saltem pro dimidio dierum durationis ipsorum operam dederint, injuncta lege, ut praedicti sacerdotes in benedictione impertienda observare debeant ritum et formam a s. m. Benedicto XIV praescriptam in const. *Exemplis Praedecessorum*, diei 19^{to} Martii 1748.

VII.

Die 2^a Septembris 1888 Rmus Pater Minister Generalis concessit *ad decennium* omnibus sacerdotibus, qui extra conventum ad dandas missiones seu exercitia spiritualia versantur, item iis qui in Stationibus sacramenta administrant, facultatem benedicendi sive publice sive privatim cruces pro exercitio S. Viae Crucis.

VIII.

Die 10^a Maji 1890 Rmus Pater FR. ALOYSIUS A PARMA concessit, *pro tempore sui Ministeriatus*, omnibus sacerdotibus, etiam futuris, facultatem, qua *in loco praedicationis* et *per tempus*, quo praedicationi incumbunt extra conventum, possint cruces benedicere ad S. Viae Crucis peragendum, servatis omnibus de jure servandis.

IX.

Die 8^a Aprilis 1894 S. P. LEO XIII concessit omnibus sacerdotibus *actu in Provincia existentibus* facultatem erigendi Cruces cum Indulgentiis in coemeteriis, ante conventus, in horto et alio decenti loco, praesertim dum missionem in aliquo loco faciunt; servatis in omnibus tenore et forma concessionis jam factae religiosi Congnis S. S. Redemptoris.

X.

Die 26^a Junii 1893 Illmus ac Rmus Dominus
P. M. SNICKERS, Archiepiscopus Ultrajectensis,
concessit :

a. ad suum successorumque beneplacitum
sacerdotibus, qui, ut in domibus religiosis archidioecesis exercitia spiritualia tradant, a Ministro Provinciali mittuntur, facultatem audiendi fidelium etiam monialium confessiones, eosque absolvendi ab omnibus casibus, sive Summo Pontifici etiam speciali modo, sive Ordinario quomodocumque reservatis, etiam ab haeresi et abortu; quae facultas non tantum respicit personas ad quas mittuntur, sed omnes quoscumque in dictis domibus domicilium vel quasi-domicilium habentes;

b. ad suum successorumque beneplacitum
sacerdotibus, jurisdictionem in una e dioecesibus Neerlandiae habentibus, eandem, quae supra sub *a* memorata est, jurisdictionem, occasione missionum aut quorumcumque exercitiorum spiritualium in archidioecesi; jurisdictio haec concessa intelligatur pro toto tempore, quo laudati sacerdotes de consensu suorum Superiorum occasione missionum aut aliorum exercitiorum spiritualium in archidioecesi morantur aut alio itinerando per eam transeunt.

c. Ministro Provinciali pro tempore existenti indulget, ut subditis, in aliqua dioecesi Neerlandiae ad audiendas fidelium confessiones approbatis, impertiri valeat jurisdictionem ad quatuordecim dies in archidioecesis ecclesiis parochialibus et succursalibus, quibus Confratres nostri deserviunt, exercendam.

Omnes tamen praefatae facultates ita intelligendae sunt, ut casus Benedicti XIV in bulla, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae*, strictissime maneant reservati.

XI.

Die 26^a Septembris 1888 Illmus et Rmus
Dominus C. J. M. BOTTEMANNE, Episcopus
Harlemensis, concessit :

a. ad suum successorumque beneplacitum sacerdotibus, qui, ut in domibus religiosis dioecesis exercitia spiritualia tradant, a Ministro Provinciali mittuntur, facultatem audiendi fidelium etiam monialium confessiones cosque absolvendi ab omnibus casibus, sive Summo Pontifici, etiam speciali modo, sive Ordinario quomodocumque reservatis; quae facultas non tantum respicit personas ad quas mittuntur, sed omnes quoscumque in dictis domibus domicilium vel quaside domicilium habentes.

b. ad suum successorumque beneplacitum sacerdotibus jurisdictionem in aliqua dioecesi Neerlandiae habentibus, eandem, quae supra sub *a* memorata est, jurisdictionem, occasione missionum aut quorumcumque exercitiorum spiritualium in dioecesi; jurisdictio haec concessa intelligatur pro toto tempore, quo laudati sacerdotes de consensu suorum Superiorum occasione missionum aut aliorum exercitiorum spiritualium in dioecesi morantur aut alio itinerrando per eam transeunt.

c. Ministro Provinciali pro tempore existenti

indulsit, ut suis subditis, in aliqua dioecesi Neerlandiae ad audiendas fidelium confessiones approbatis, impertiri valeat jurisdictionem ad quatuordecim dies, in dioecesis ecclesiis parochialibus et succursalibus, quibus Confratres nostri deserviunt, exercendam.

Omnes tamen praefatae facultates ita intelligendae sunt, ut casus Benedicti XIV in bulla, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae*, strictissime maneant reservati.

XII.

Die 3^a Martii 1893 Illmus et Rmus Dominus F. A. H. BOERMANS, Episcopus Ruraemundensis, concessit Ministro Provinciali pro tempore existenti:

a. facultatem examinandi per se vel per alium Confratres, qui semel per examinatores synodales dioecesis sunt examinati et approbati, vel quos constat ex authentico instrumento in alia dioecesi jurisdictionem ab Episcopo obtinuisse; cum onere tamen referendi de examinis exitu, quum jurisdictionis prorogatio postulatur.

b. facultatem mittendi ad parochias et communitates religiosas, Episcopo subditas, ad instituenda exercitia spiritualia, missionem, triduum, etc. Confratres, in alia dioecesi degentes, cum eadem jurisdictione, qua in sua respective dioecesi gaudent.

c. potestatem dandi Confratribus confessariis, qui per dioecesim mittuntur ad missionem aut triduum, vel ut ita dictam assistentiam praestent, aut in institutis exercitia spiritualia instituant, facultatem absolvendi, servatis servandis, a casibus Summo Pontifici et Ordinario etiam speciali modo reservatis et a censuris adnexis, exceptis tamen casibus Benedicti XIV in bulla

Sacramentum Poenitentiae; pro solo tamen tempore, quo ita in ministerio laborant.

XIII.

Die 14^a Novembris 1894 Illmus ac Rmus Dominus F. A. H. BOERMANS, Episcopus Ru-raemundensis oretenus concessit:

a. Confratribus sacerdotibus facultatem impertiendi statutis diebus generalem absolutionem et benedictionem apostolicam Sororibus Regularibus Tertii Ordinis.

b. Jurisdictionem illis sacerdotibus, qui pro religiosis dirigunt exercitia spiritualia.

XIV.

Die 4^a Aprilis 1893 Illmus ac Rmus Dominus W. VAN DE VEN, Episcopus Buscoducensis, concessit *ad beneplacitum Ordinarii Dioecesis* omnibus sacerdotibus, dummodo in aliqua dioecesi Neerlandiae jurisdictione gaudeant et a suis Superioribus ad sacrum ministerium exercendum deputentur, de consensu quorum interest, facultatem in dioecesi verbum Dei praedicandi, fidelium, etiam monialium, confessiones excipiendi eosque absolvendi ab omnibus peccatis et casibus sive Episcopo sive Summo Pontifici reservatis, etiam ab haeresi et abortu, ab iis quoque casibus, qui in const. Pii IX *Apostolicae Sedis* Summo Pontifici speciali modo reservantur (excepta tamen absolute complicitate in peccato turpi, cum caeteris casibus, qui alibi, puta in bulla Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae*, aut alia ratione et modo sive Summo Pontifici, sive Ordinario Dioecesis Buscoducensis specialiter reservati sunt.)



